



**I**oachimus natus est honestis parentibus Pa-  
benbergæ in Franconia. Is cum fœlici ingenio  
ornatus esset, à pueris bonis literis operam dedit,  
atque artium & linguarum fundamenta egregie  
iecit. Postea sese ad varias hinc inde Germaniæ  
Academias contulit, atque Philosophiæ, & in pri-  
mis Oratoriæ & Poeticæ facultati præclaram o-  
peram nauauit. In humanioribus quoque literis  
& artibus dicendi suis uigilijs effecit, ut earum co-  
nitione nulli suo tempore secundus existeret, ita  
ut totius Germaniæ singulare ornamentum ui-  
deretur. Itaque Vuiteberga, Tubinga, Heydel-  
berga, & Lypsia, aliâque Gymnasia de huius uiri

præsentia gloriantur. Tandem is Tubingæ anno post Christi natiuitatem  
millesimo quingentesimo tricesimo quinto, postea quoque Lypsiæ inter pro-  
fessores cooptatus, ibidem bonas literas docuit, atque plurimos Græcos &  
Latinos authores suo nitore restituit. Vnde etiam ipse ob singularem elo-  
quentiam anno post reparatam salutem humanam millesimo quingentesi-  
mo & quinquagesimo tertio, quum Mauritijs Electoris funus Lypsiam addu-  
ceretur, orationem funebrem habuit, atque multos principes mortalitatis ad-  
monuit. Nullus etiam per Germaniam doctorum uirorum extitit, cui non  
Camerarius ob excellentem eruditionem, multasque animi uirtutes per episto-  
las familiariter notus fuerit.